



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Index Conclusionum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

INDEX CONCLUSIONUM.

TRACTATU I.

Vitium & peccatum non sunt idem. Vitium interdum sumitur pro culpa Philosophica. Peccatum pro culpa Theologica. Et hujus variae sunt definitiones.

DISPUTATIONE I.

De Peccato ut sic.

Peccatum actuale ut sic non rectè definitur, quòd sit Actus liber malus, nec quòd sit commissio, aut omisso libera disconveniens conscientiae rectae practice operanti. Sed est defectus ratione dissonantiae ad conscientiae practicum dictamen. Quod ipsum explicatur.

De Peccato Theologico.

Peccatum Theologicum ut sic est defectus ratione disconvenientiae ad conscientiae practicum dictamen Deum respiciens. Illud non est infinitum simpliciter, si nomine infiniti simpliciter accipias id, quod, quoad omnia, quae in suo conceptu includit, est infinitum. Licet sit infinitum simpliciter in ratione offensae, si per infinitum simpliciter intelligatur infinitum secundum rationem suam primariam formalem, & distinctivam sui.

De Peccato Philosophico.

Peccatum Philosophicum ut sic. Est defectus ratione dissonantiae, ad practicum conscientiae dictamen respicientis praecise ordinem naturae. Potest committi aliqua actio graviter mala, sine ulla Dei memoria. Peccatum factum sine advertentia ad offensam Dei, non est formaliter offensam Dei. Estne possibilis suppositio, in qua, absque advertentia ad Dei offensam commissum peccatum, sit mortale. Peccatum ut sic habet etiam formalitatem, quod sit contra legem. Quotiescunque Lex rationabiliter actum certum intendit ponere, in aliqua specie virtutis, toties illum ponit in illa specie. Secus si lex id intendat irrationabiliter. In omni peccato plures malitiae includuntur. Quid est hoc per alios aliquas virtutes, & vitia illis opposita interius consummari, quid per nos.

TRACTATU II.

De Divisionibus Peccati.

Plures divisiones peccati recensentur.

DISPUTATIONE II.

De Divisione in Peccatum Commissionis, & Omissionis.

De Peccato Commissionis.

Peccatum Commissionis importat aliquid positivum, licet pro ultimo completivo rationeque formali, dicat aliquid negativum. Quae doctrina supponit quòd nullum sit ens positivum quod non dicat suas negationes. Unde etiam plures unaquaeque res dicit negationes, quam affirmationes. Non omne tamen ens ultimo completur per aliquid negativum. Dantur regulae dignoscendi quid ultimo completur negatione.

Quibus positis explicatur peccati commissionis. Porro peccatum commissionis rationem illam positivam importat in recto, pro connotata negationem. Multae rationes, non rectè ostendunt peccatum Commissionis ultimo stare in aliquo negativo. Probatur hoc tamen aliis mediis Terminis. Quid importat per alios negatio rectitudinis debita inesse peccato. Explicatur haec difficultas.

De Peccato Omissionis.

Circa peccatum Omissionis loquendo, in quo sit difficultas. Quae mens in hoc Auctorum. Praemittuntur aliqua de negationibus. Et An creatura, ultimo differat à Deo per nihil. Non est possibilis pura omisso libera. Posita possibilitate purae omissionis liberae, dandae illa Deo.

DISPUTATIONE III.

De aliis Divisionibus peccati.

Tam de mortali, quam de veniali praedicatur hoc genus, peccatum. Datur tam mortale, quam veniale peccatum. Sed constitutiva illorum non rectè per multos explicantur. Explicatur hoc constitutivum.

De Originali.

Datur peccatum Originale. Quotabiliores circa illud errores. Est illud verè peccatum. Unde & quando inceptum. Majusne peccatum Adami an Evae. Quid sentiendum de his, qui praeter Beatissimam tribuunt aliis, quod sint sine peccato originali concepti. Quid per alios contineri voluntates posterorum in voluntate Adami. Peccatum originale non potest esse proprium posterorum Physicè, potest esse moraliter. Sed haec ratio proprii moraliter non debet explicari, recurrendo ad scientiam conditionatam. Ut aliquid sit alicui proprium moraliter, per derivationem, debet esse alicui proprium Physicè. Et per hanc derivationem est nobis proprium originale. Sed quid est voluntates nostras fuisse transfusas in voluntatem Adami, & contentas in capite. Persona cum qua fit pactum est Caput. Ceterum Adamum esse Caput nostrum morale, & in Adamo esse nostras transfusas voluntates, in re idem est. Licet haec differant formalitibus. Quomodo concipi debeat haec transfusio. Quomodo item concipi debet ipsum pactum, quod factum est cum Adamo à Deo. Colligitur, quae ex eo transfusio nostrarum voluntatum. Peccatum Originale non est peccatum per imputationem. Nec dicit pro materiali ipsam concupiscentiam, pro formali reatum. Nec est carètia justitiae originalis, intelligendo nomine illius qualitatem impeditivam sensualis potentiae, aut carètia gratiae sanctificantis. Distinctae sunt haec propositiones. Peccavit Adam, qui fuit caput nostrum, & Peccavimus in Adamo tanquam in Capite. Hocque secundo modo originale concipi debet, quod ipsum explicatur. Infantes in originali decedentes, quomodo puniantur.

INDEX.

Sunt & alia divisiones peccati. Ab objectis, seu bonis, quibus opponuntur peccata, sumunt illa diversitatem specificam, rationem objecti spectando moraliter. Peccata sunt specie distincta, quae opponuntur diversis virtutibus. Quae tamen opponuntur eidem virtuti, non hoc ipso sunt ejusdem speciei.

TRACTATU III.

De reliquis hanc Materiam concernentibus.

DISPUTATIONE IV.

De causis, subiecto, penis peccati.

De causa peccati.

Demon est causa peccati, extraneae, & intraneae quodammodo. Sed non solus Dæmon.

Quare per alios Deus non sit causa peccati. In nostris principiis redditur hujus ratio.

De Subiecto Peccati.

De subiecto Peccati. Non potest ostendi implicantiæ, per locum positivum, creaturæ, quæ possit peccare venialiter, & non mortaliter. Possibilis item est creatura, quæ possit mortaliter peccare & nunquam venialiter, orta venialitate, ex defectu plenæ advertentiæ. Subiectum peccati venialis potest esse etiam is, qui non nisi originale habet.

An possibilis sit creatura rationalis, naturæ impeccabilis. variae afferuntur implicantiæ. Spectata mente Patrum, repugnat substantia creata impeccabilis. Dantur tamen suppositiones, in quibus ratione positivæ, non demonstratur impossibilitas creaturæ impeccabilis. Sed dabiles sunt & alia, in quibus implicet.

De penis peccati.

Inter ea quæ sequuntur peccatum est macula, & reatus, definitivè autem macula, est deformitas contracta ratione peccati. Explicatur variè hæc macula. Quid illa in nostris principiis. Datur hæc macula, eaque & ex mortali, & ex veniali relicta. Quoad reatum, ille definitivè est obligatio seu debitum penæ, ratione peccati commissi. Datur reatus. Non est æqualis in omnibus peccatis. In omnibus damnatis, est æqualitas reatus penæ, stantis in carentia visionis, cum in æqualitate, secundum gradus visionis, quibus privantur damnati. Quæ in æqualitas, augeat penam extensivè, licet inde non debeat taxari majoritas penæ. Sed debet taxari, ex intensiore dolore, qui proficiscitur ob bonum illud amissum. Penæ, sequens mortale, non est infinita simpliciter. Ex adjuncto meretur mortale, penam infinitam duratione. Sed nec ex accidenti meretur penam infinitam quoad intensiorem. Melius est Unico instanti torqueri, infinita penæ, an tota æternitate torqueri, ut æntum. Quæ penæ major, sensu est, an damni? Peccator est indignus omni possibili bono. Probatur justè Deum punire penam æternam.

TRACTATU IV.

DE GRATIA.

Quid venit nomine gratiæ. Quid quoad rem gratiæ. Datur defecto gratiæ. Variæ divisiones gratiæ.

DISPUTATIONE V.

De Gratia Efficaci.

In quo est difficultas in præsentis. In quo quæstionis status. Ex principiis nostris quid nobis immeritò imponunt Thomistæ. In quoniam differunt inter se & in quo conveniunt Doctores nostri. Quid Gratia Effectiva, Efficax, Efficax. Sententia Societatis in hac materia est, ne damnata in disputationibus Romanis? Quomodo se habet scientia conditionata ad collationem auxilii Efficacis. Duplex illa ponenda. Objecti scientiæ conditionata duplex infallibilitas ponitur. Futuritis conditionata & suppositio futuritionis non est idem formaliter. Est idem realiter. Suppositio futuritionis objectiva habetur formaliter ab ipsa metilla. Non est necessaria scientia conditionata ad collationem auxilii ut sic. Nec necessaria scientia felicitis eventus, aut infelicitis. Licet sit necessaria pro statu absoluto

antecedenter scientia conditionata secuti eventus. In collatione auxilii Efficacis pro statu absoluto movetur Deus ipsa bonitate Efficacis. Licet in collatione auxilii sufficientis non moveatur ejus inefficacia.

De scientia dirigente collationem Gratia Efficacis.

Est necesse ponere in Deo scientiæ conditionatam. Nec illa est contra Sanctum Augustinum. Aut Prosperum. Nec contra Sanctum Thomam. Quæ natura decretorum absolutorum ex parte subiecti. Non est hæc scientia impossibilis. Aut inutilis. Nec demonstratur stare prædeterminationem cum libertate. Non tollit hæc scientia à Deo rationem Primæ Causæ. Nec rationem primi liberi. Aut supremum dominium in libertatem. Nec aufert Efficaciam Gratia, nec derogat omnipotentia. Nec tribuit Deo modum agendi cæcū. Nec aufert libertatem. Nec facit Deum auctorem peccati. Nec ex ea sequuntur ulla inconvenientia. Argumenta à nostris proposita non solvuntur ab oppositis.

De Habitudo Decreti divini in danda Gratia Efficaci.

Posita efficacia intrinsecâ decreti divini de Operatione secutura, non sequitur auxilium fore eo ipso intrinsecè efficax. Poteritque gratia efficax à sufficienti eo casu distingui, non in ratione entis. Si non datur efficacia auxilii intrinsecâ, cur huic potius datur Gratia efficax quam illi? non debet id referri in connotatam secuturitionem effectus, sed in decretum Dei selectivum auxilii. Nec demonstratur ex scripturis & autoritate Doctorum, voluntatem Dei in opere salutis esse prædeterminativam. Nec id docuit S. Augustinus. Nec S. Thomas. Nec id demonstratur rationibus Theologicis. Nec suadet ex verbis illis Apostoli: Quis enim te discernit. Decreto prædeterminativo. Negato salvabitur adhuc ratio causæ primæ. Item absolutum Dei Dominium & ejus providentia.

Argumentis etiam Nostrorum, non aptantur sufficientes responsiones. Concordat doctrina Hilarii in ejus epistola cum doctrina Societatis. Concordantur variæ propositiones materiam de Efficaci Gratia concernentes.

DISPUTATIONE VI.

De aliis divisionibus Gratia. De Gratia sufficienti.

Datur Gratia sufficiens. Quotuplex est. Datur etiam proximè sufficiens. Gratia sufficiens datur etiam ad posse agere actu. Principium illud. Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam, videtur non sufficienter à multis accipi. Quomodo accipiendum. Datur Gratia sufficiens omnibus. Etiam barbaris. Et ad vitanda peccata, aut ad commissi abolenda singulis moralibus momentis. Parvulis datur Gratia sufficiens analogicè ad delendum Originale. Aliis tamen non nisi remote sufficiens.

De Gratia Operante.

Gratia Operans & Cooperans sunt membra dividentia Gratiæ actualem. Has agnovit S. August. Variæ illarum nomina. Definitivè Gratia Operans est Gratia, quam Deus sine nobis operatur, ut velimus.

De Gratia Cooperante.

Gratia Cooperans est Gratia distincta realiter ab Operante. **DISPUTATIONE VII.**

De Gratia Habituali.

Est de fide dari Gratiæ justificantem esseque illam quid permanens. Per plerosque non rectè definitur Gratia justificans. Commode dicitur quod sit donum supernaturale stans in participatione naturæ divinæ. Hæc participatio non est vinculum ipsius divinitatis. Nec stat in convenientia formali cum natura divina prout constituta ab attributis. Nec plerique alie explicationes satisfaciunt. Explicatur hæc participatio. Non est possibilis talis qualitas Gratia, cui clausula condonatione divinæ, sit ab intrinsecò impossibile stare cum peccato. Possibilis est Gratia, quæ sit principium actuum amoris per se ipsam. Possibilis item est distincta realiter à charitate. Probabilius est eam esse indistinctam realiter à charitate.

De

De necessitate Gratiae.

De fide est Gratiam esse necessariam ad actiones salutares, & ut oportet. Non tantum ad primam infusionem habitus Fidei in adultis indigemus gratia praeviente; sed etiam supposito habitu Fidei, eadem indigemus ad justificationem. Etiam supposita justificatione, & infusione habituum supernaturalium, adhuc erit necessaria Gratia adiuvans. Ad singula opera requiruntur singulae Gratiae. Amor naturalis Dei super omnia, potest haberi quoad Velleitatem, & quoad actum Efficacem in affectu, licet ad hoc requiratur Gratia naturalis. Quamvis concedi possit Amor Dei naturalis super omnia absolutus & Efficax quoad affectum, non tamen concedi debet efficax quoad effectum, si debeat supponi diu, & notabiliter durans. Amor Dei naturalis super omnia non potest dari efficax in effectu ad omnem legem & praecepta implenda. Si praecepta sint naturalia, observatio tamen illorum debeat conducere in vitam aeternam, ad alia sine adiutorio Gratiae non potest se extendere amor Dei super omnia naturalis. Licet observatio naturalis praeceptorum naturalium non esset sicut oportet, tamen ille actus non posset esse efficax in effectu sine speciali auxilio. Sine gratia supernaturali non potest vinci gravis tentatio per actum sicut oportet. Potest autem sine illa vinci tentatio gravis, victoria quae non est sicut oportet. Quando tamen sine illa vincitur tentatio gravis, ponenda est gratia specialis licet ordinis naturalis. Independentem ab adiutorio speciali, sive ordinis naturalis, sive supernaturalis, potest physice loquendo qualibet tentatio gravis superari, modo aliunde supponatur sufficiens auxilium. Quamvis ordinariè nomine gravis tentationis veniat tentatio per moram temporis durans, potest tamen tentatio esse gravis, etiam minimo tempore durans. Opera honesta moraliter non possunt fieri sine gratia. Gratia illa est distincta à dono creationis, non ordine, sed specialitate, & formalitate non debita per obligationem. An autem haec gratia possit dici sine addito, quaestio est de voce. Sine gratia speciali nemo potest in naturalia vitare omnia venialia. Ad vitandum peccatum, debet dari, non tantum physica, sed etiam moralis sufficientia. Licet nulli naturae etiam vagè sit debitum auxilium congruens, tamen illud dat Deus pro suo placito. Quo sensu haec Propositio non fit accipienda; sine speciali gratia non potest homo abstinere ab omnibus omnino venialibus. Quis sit sensus dictae Propositionis.

De necessitate Gratiae ad perseverandum.

De fide est ad perseverandum requiri speciale auxilium. Nominem perseverantiae venit duratio in gratia cum exercitio bonorum operum per longum tempus usque ad mortem. Venit item duratio temporalis in gratia per diuturnum tempus, quae non potest haberi sine speciali gratia. Venit & duratio paucis temporibus in bono, cui successerit mors. Venit & mors succedens non amissa gratia, quamvis illius non amissio non fuerit libera. Hoc ipsum quod est decedere in gratia, vel maxime formaliter perseverantiam. Perseverantia non dicitur aliquid habituale. Eadem stat ordinariè in collectione plurium gratiarum. Donum perseverantiae dicitur universaliter, & gratias externas, & internas.

De Merito.

Meritum est actus laudabilis natus habere collationem praemii. Conditiones meriti expenduntur. Ly meritum dupliciter potest spectari, nominaliter, & participaliter. Et licet utroque modo acceptum sit relativum, & ad aliud, tamen si inadaquate, & secundum esse absolutum spectetur, potest accipi secundum fundamentum illud, quod fundat ordinem ad aliud; & est ipsamet Excellentia actionis, quae est radix acceptationis. Nominem meriti tam nominaliter quam participaliter, ut plurimum accipitur, ratio relativa & importans obligationem. In merito distinguenda sunt haec duo formalitates, nempe radicalis excellentia, & ratio obligationis. Formalitas meriti absoluta, & quae meritum formaliter est, non completur acceptatione. Formalitas meriti respectiva, secundum quam meritum dicitur in me-

rente, & obligationem in alio, completur acceptatione. Ut aliquis dicatur in actu secundo mereri, necesse est, ut non repugnet praemiaturo, consequenter semper requiratur acceptatio negativa. Defacto Deus, aliquas condignas actiones non acceptat. Quamvis hoc quod dat Deus in praemium actus condigni, possit revera dare in praemio actus, qui de se non est condignus, tamen quod de se non est condignum alicui praemio, non potest reddi solà acceptatione condignum.

De divisione Meriti.

Aliud est meritum de condigno, aliud de congruo. Meritum de condigno est radix acceptationis, & promissionis fundatae, id est ratione suae excellentiae intrinsecae. Meritum autem de congruo actio quidem laudabilis, & nata habere collationem praemii, non habeat perfectam excellentiam in ordine ad acceptum, id est non fundans exigentiam, licet ad hoc, ut utatur Deus misericordia & liberalitate, praestet aliquam rationem.

De Objecto Meriti tam condigni, quam congrui.

Vita aeterna verè cadit in objectum meritum nostrum. Et augmentum gratiae cadit sub meritum. Potestque absolute dici, nos mereri condignè vitam aeternam. Finalis perseverantia, non cadit in meritum de condigno. Actus tamen v.g. amoris in ordine ad hoc oblatum, est meritum de condigno in actu primo. Possimus de congruo mereri perseverantiam. Finalis perseverantia dupliciter spectari potest, vel pro causali, hoc est auxilio speciali, quo posito finaliter perseveratur, vel formaliter, pro ipso actu perseverandi. Utraque perseverantia non cadit in Meritum de condigno. Accipiendo nomine primam gratiae justificationis primam illam gratiam, quae est principium operandi aliquam actionem supernaturalem, Deo gratiam, in isto sensu, nemo dixerit, illam posse cadere sub meritum. Accipiendo autem illam pro gratia, quae est qualitas permanentis in nobis, & constitutiva in esse filiorum Dei, sic sumptam possumus mereri de congruo. Accipiendo primam gratiam pro resurrectione à mortali, in isto sensu, de condigno non meretur iustus resurrectionem ratione rectè factorum in gratia ante peccatum commissum positorum.

TRACTATUS V. De Ente Supernaturali.

Ly supernaturale est praedicatum genericum ad omnes fere Theologiae materias. DISPUTATIONE VIII.

De Natura Entis Supernaturalis.

Ly supernaturale ex vi modi significandi est quid respectivum. Habet tamen esse absolutum secundum considerationem Metaphysicam, secundum quod prius est quocunque esse respectivo. Hoc esse absolutum competens enti supernaturali, debet esse exsuperantia naturae radicaliter sumpta. Nominem naturae supra quam est supernaturale, non potest venire natura ut sic, pro tota rerum universitate spectata. Licet supernaturale excedat vires naturae, nam hoc ipso non esset supra naturam, si non esset supra vires naturae, nihilominus nomine naturae non debent venire solae vires naturae, supra quas debeat esse supernaturale; nec per hoc praecise ut sic formalis ratio supernaturalitatis. Nec nomine naturae supra quam est supernaturale, veniunt vires passivae seu subiectivae. Sed nomine naturae illius venit substantia creata, vel creabilis, ita ut quod excedit omnem substantiam creatam, vel creabilem, illud sit supernaturale. Unde Ens supernaturale absolute acceptum est Esse excedens quamcumque existentiam substantiae creatae, aut creabilis radicaliter acceptum.

*DISPUTATIONE IX.**De Divisione Entis Supernaturalis & Specificatione.*

Impossibile est substantia supernaturalis creata. Respectu summi Deus non potest dici substantia supernaturalis. Si nomine supernaturalis non aliud accipias, quam esse indebitum omni substantiae creatae, & creabili, vel esse excedens omnem substantiam creatam vel creabilem, in isto sensu Deus est substantia supernaturalis. Si autem nomine supernaturalis, non tantum praecise accipias esse excedens omnem creaturam, sed simul esse quod non implicat, & tamen non potest haberi nisi ab actionibus viribus, quam sunt vires naturae, in isto sensu non potest dici Deus substantia supernaturalis. Deus est substantia supernaturalis in causando. Praestat tamen simpliciter Deum appellare substantiam naturalem, quam supernaturalem.

De Specificatione.

Circa objectum supernaturale potest dari actus naturalis. Circa idem objectum etiam ex motivo supernaturali potest procedere actus naturalis. Circa objectum autem supernaturale ex motivo supernaturali movens supernaturaliter, implicat fieri actum naturalem. Circa objectum naturale, seu attingibile lumine naturae, potest fieri actus supernaturalis. Circa idem objectum etiam ex motivo naturali, potest fieri actus supernaturalis. Ex motivo tamen naturali, modo naturali concurrente, nec accedente ullo principio elevativo, impossibile est fieri actum supernaturalem.